

At ex haecenus dictis certum est, Holstenium falli; ut fallitur quisquis eandem fuisse putat *Valeriam* urbem, ac *Marruvium* seu *Marrubium*, Marforum olim metropolim, cujus nomen praesertim legitur in quadam inscriptione a Reinesio relata (a) cum titulo SPLENDIDISSIMAE CIVITATIS MARSORVM. *Marruvium* enim orientem versus ad *Fucinum* lacum per plura millia passuum aberat *Tibure*; cum ab urbe *Valeria*, ut diximus, *Tibur* usque, octies mille passuum iter esset. Ut observavit *Cluverius*, circa ea loca ubi nunc *Vicovarum* est, conspiciuntur etiamnum inscriptiones aliquot antiquae; tum muri etiam, quo oppidum cingitur, pars ingentibus saxis quadratis antiqui operis constat. Et primo ab ea urbe lapidea est aedes *Petro* dicata a *Symmacho*, summo Pontifice, milliario vicesimo septimo ab urbe *Roma* in fundo *Paciniano*, ut scribit *Anastasi*us (b). Haec omnia indicant, qui situs, quod fuerit vetus nomen *Valeriae* seu *Variae*, quae hodie *VICOVARUM* est, *PATRIA* *Marcii Antonii Coccii Sabellici*, cujus vitam scribere aggredior.

Is tamen *Marcus Antonius* primus omnium, puto, ut illustriori etiam nomine patriam honestaret, vocavit illam *VICUM VARRONIS*, cum in *Epistolarum* quadam (c), tum in *Historiis* (d), ubi, sunt, inquit, & circa *Tibur* in confinio *Latii* omnia ab *Urfinis* loca alienata, praeter *VICUM VARRONIS*, qui in *Valeria* via *Anieni* incubat. Et antea (e) cum locus hic esset ab ipso appellatus *Valeria* & *Vicus Valerius*, addit eum nobilissimae viae dedisse nomen: adeo ut *Valeria*, *Vicus Valerius*, *Varia*, *Variae*, *Bariae*, *Vicus Varronis* latine idem sonet, atque italice *Vicovarum*. Quare primus, iterum ajo, locum eum vocavit *Sabellicus Varronis Vicum*; namque ante ipsum qui ita locum vocaret, a me repertus est nemo. *Cicero* quidem *Philippica* secunda capitibus LXXXVII. & LXXXVIII. nominat fundum & villam *Varronis*: at haec erat ad *Casinum* montem, ideoque *Casinatē* illam *Tullius* vocat; atque id innuit ipse *Varro* libro III. de re rustica cap. V. sicuti etiam cap. XIII. meminit alterius fundi in *Tusculano* quod emerat a *M. Pupio Pilone*. Ex iis igitur *Varronianis* villis neutra est *Vicovarum*. Siquis *Vicovari* monumenta scrutaretur *Sabellici* temporibus antiquiora, is reterer verum illius nomen. Non ab re interim puto memorare insigne illud sapientissimi *Caesaris Cardinalis Baronii* effatum (f): Quod a recentioribus de rebus antiquis sine alicujus vetustioris testimonio profertur, contemnitur.

Sed *VICOVARUM* jure gloriari, ex se ortum esse insigne hunc historicum, nullus ipso est luculentior testis. *Epistolarum* libro II. ad *Foresium* quemdam scribit: forte is est *Sebastianus* ille *Foresius*, *Florentinus* poeta, qui carmine italico complexus est, & *Laurentio Medice* dicavit praecepta de agrorum cultura. Ea in epistola *Sabellicus* de ortu suo & studiis amicum certiore faciens, *VARRONIS*, inquit, *VICUS*, nisi *VALERIUS* sit potius dicendus, quia in *VALERIA* sit *VIA*, in *Latii* finibus ad *Anienem*, mihi *PATRIA* est. Eum secuti *Leander Albertus* (g), *Paullus Jovius* (h), alique non pauci idem affirmant. Fallitur igitur *Nicolaus Toppius* (i), qui *Aprutinum* eum esse ait; neque illum corrigit *Leonardus Nicodemus* (k), ut oportuerat, cum tamen jam pateat, revera intra *Latii* fines, in *Pontificis Romani* ditione, non in *Aprutio* esse *Vicovarum*. Fallitur quoque *Franciscus Belcarius*, *Metensis* *Episcopus*, qui in praefatione ad rerum *Gallicarum* com-

(a) *Cl. VI. n. CXIV. p. 453.*

(b) *In vita Symmachi PP.*

(c) *Epist. lib. II.*

(d) *Ennead. XI. lib. VI.*

(e) *Ennead. VIII. lib. VI.*

(f) *Annal. Tom. I. ad ann. I. Christi. §. XII. edit. secundae.*

(g) *Deser. Ital. p. 133. Bonon. ap. Anselm.*

*Giaccarell. 1546. in fol.*

(h) *Elog. claror. liter. viror. Ven. ap. Michael.*

*Tramezin. 1546. in fol.*

(i) *Biblior. Neapolit. p. 203.*

(k) *In Addition. ad Biblior. Neapol. p. 163.*